



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & qua ratione impuberes ingredi possint religionem, & in illam recipi, vel à patentibus offerri?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Injustè ejectus per Superiorem, ad quem appellaverat, fuit restitutus; aut si sanz mentis ad probationem admissus, currente tamen postmodum anno novitiatus, in furorem, vel amentiam incidit, ita ut, si hæc ultra dies octo, vel decem non duret, nihil interruptatur novitiatus, neque tempus illud post exactum annum supplendum sit (cùm modicum tale pro nihilo reputetur) suppleri tamen debeat tempus furoris, aut insanie, si diutius per duos v.g. menses duret, cùm in tali casu non quidem omninò cesset novitiatus, sicuti cessat mutata voluntate, dormiat tamen quasi, & suspendatur, ita ut suppleri debeat.

§. IV.

An, & quâ ratione impuberes ingredi possint religionem, & in illam recipi, vel à parentibus offerri?

POssunt tam pueri, quàm puellæ religionem ingredi, & habitum regularum assumere, etiam ante annos pubertatis expletos; & infantes etiam, cum consensu tamen parentum (ut à mundi vanitate abstracti, regulari vitæ assuescant) non tamen verè & propriè novitiatum agere, aut in anno probationis censebuntur, ante annos pubertatis expletos, cùm ante hos annos, discretionem sufficientem habere non censeantur ad religionis experientiam, ac austeritates, præsertim circa votum castitatis.

Quin imò parentes possunt liberos suos impuberes offerre religioni, non tantùm, ut sub regulari disciplina vivant, ac educantur, sed ut suo tempore probationis annum inchoare, ac in religio-

ne tali profiteri, si placeat, possint. Ejectus autem hujus oblationis, aut ingressus impuberis est, quòd parentes, si vel mel in talem filii, aut filie impuberis ingressum, expressè vel tacitè, iuxta numerum non revocando, consenserunt, postea voluntatem suam non possunt revocare, sicuti revocare possunt eos, in quorum ingressum non consenserunt. Si quis 2. h. t. neque possunt taliter oblato, aut ingressi, ante pubertatis annos ad sæculum redire: prout dicitur in can. 2. caus. 20. q. 2. Vide præter hæc rari usûs materia apud Aul. Mea loco citato.

§. V.

De libertate ingrediendi religionem, & egrediendi, quam habent novitii.

QUòd possint liberi, inchoatam etiam, & invitis parentibus, religionem absolurè ingredi, certissimè patet est c. Cùm virum 12. h. r. & ratio naturalis probat, quæ cuilibet, sicuti ad matrimonium carnale liberum arbitrium relinquit, ita etiam ad matrimonium spirituale religionis professionis; quæ hæc ipsa ratio naturalis satis docet, honestum, decens, & rationabiliter conveniens esse, ad hoc tam arduum mutandi statûs negotium, parentes etiam de hoc edocuisse saltem, si coactio eorum haberi non possit.

Egredi autem intra annum probationis ex novitiatu, & ad sæculum redire, liberè possunt novitij, ita ut à religione egrediendi facultatem petere teneantur, nec ad ullas expensas solvendas obligentur.